

et Bacchabus, egregias sæpe vidisse lectiones, non nisi Codicibus haustas iis, qui nunc sunt, melioribus. Brunckium igitur demiror. Sex enim fabulas Pseudo-Gregorius adhibuit Euripideas; e quibus Brunckius ipse quatuor edidit, loco tamen dramatis X. Π. ne quidem uno collato. Verum operis partes a Brunckio neglectas Porsonus diligenter peregit. Nos quoque diligentiam posuimus in eadem re tractanda. Sed idem Porsono, suspicor, quod et nobis accidit, tædium irrepsit legendi, plusquam aniles, ineptias dramatis longe insulsissimi; alioqui vidisset Judex Summus elegantem mehercle lectionem posse restitui Med. 370. Ibi vulgo legitur *Εἰ μή τι κερδαίνουσιν ἢ τεχνωμένην*. Illud autem imprimis notandum est, quod sententia postulat copulam conjunctivam, non disjunctivam. Confer etiam 403. *Μήδεια βουλεύουσα ΚΑΙ ΤΕΧΝΩΜΕΝΗ*. Noli igitur dubitare, quin veram lectionem servarit X. Π. 205. *Εἰ μή τι κερδανούσιν ἐντεῦθεν μέγα*. Troasin quoque veras lectiones X. Π. servavit; sed earum nulla comparari potest ad elegantiam præcedentis*.

Cum res eo tandem pervenit, ut, omissis veteribus, in recentiores oratio transiret, a proposito non alienum foret, si quædam loquar de Hesychio sæpe nobis in usum vocato. Post ea, quæ de Lexicographi meritis in laudem ejus VV. DD. cumulaverunt, silere præstat. Dico tantum emendationes quam plurimas Tragicorum ex eo, et ex Tragicis ejusdem depromi posse. — Quod ad proxima verba verba spectat, omnibus id pro liquido constat. De He-

* Memor licet Porsoniani moniti ad Med. 389, et 1225. unum tamen locum citabo insignem, ope dramatis istius emendandum. Vulgo legitur in Bacch. 310. *Οὐκ ὁ Διόνυσος μὴ σωφρονεῖν ἀναγκάσει*. Sed bene vidit Valckenaer. ad Phæn. 397. glossam esse *Διόνυσος*. Repone igitur ex X. Π. 397. *Οὐ γὰρ θεὸς μὴ σωφρονεῖν ἀναγκάσει*. De quo centone cum res agatur, corrigat velim lector errorem meum in Append. p. 139. D. Pro “et sic X. Π. 660.” leg. “cum vulgata lectione facere videtur X. Π. 660. Habet enim Ἄνηγον ἦγον ἦγον.”